



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 16. Tumultus in Hispania occasione Inquisitionis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1485.

## §. XVI.

*Tumultus in Hispania occasione Inquisitionis.*

*Vid. supr.  
Lib. CXIV.  
§. 169.  
Surit. tom. 4.  
Annal. lib.  
20. cap. 65.  
Marian. hist.  
Hisp. l. 25.  
c. 8.*

Jam Superius descripsimus modum, quo Ferdinandus & Isabella in regno Castellæ Inquisitionem introduxerint. Æqua sanctaque hac in re utriusque erat cogitatio, nec dubium, quin hoc tribunal in primæva ipsius institutione uberes produxisset fructus, si semper justitiæ leges observatæ fuissent, nec tyrannica severitas irrepisset: Ast cruenta reorum supplicia frequentius exhibebantur. Nec ferme ulla præteribat dies, qua non vel Judæus vel Maurorum nonnullus Mahometanæ sectæ addictus ad pristinas suas superstitiones rediisse accusatus ultimo judicio condemnabatur, perinde ac si Christiana fides vi ferroque intellectum in sui obsequium captivaret, aut gloriæ sibi duceret, quod plurimos subditos ad sinum suum compulsos numeraret. (\*) Igitur, qui

(\*) Continuator in libro CXIV. §. 172. ipse fatetur ejusmodi infidelibus relapsis altera etiam vice vitæ gratiam concedi, & non nisi tertia vice ultimo supplicio plecti, quis autem Catholicorum negat, semel per Baptismum Ecclesiæ januam ingressos, ac fidem Deo & Ecclesiæ

qui terribilis hujus tribunalis rigorem effugerant, in graves prorumpabant querelas, caussati, complures innocentes

Sæcul. XV.  
A.C. 1485.

fin-

clesiæ datam sæpius violantes etiam mortis pœna coerceri posse? nonne ejusmodi facultas ex ipso jure naturali & ob bonum commune cuilibet Reipublicæ data est, qua perduellionis, vel perjurii reos, pacisque turbatores etiam capitali pœna coercere valet: non cogit Ecclesiæ ad fidem, sed ut id, ad quod se fidelis obstrinxit, adimpleat: Infideles autem ad fidem compelli Innocentius III. cap. *Majores de Baptismo* damnavit, cuilibet tamen Regi licitum est expellere Judæos, Mauros &c. Ut subditorum suorum indemnitas fervetur, & ne ex convictu eorum illi pervertantur, & hoc motivum producit in Pragmatica contra Judæos anno 1492. die 31. Martii, & in alia contra Saracenos anno 1502. Mens. Februario promulgata. Quis denique priscis temporibus obstrepere audebat contra sanctissimas leges, quibus veteres imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Marcianus, alique Christiani Prineipes sæpius Catholicæ fidei corruptores severe admodum castigari præceperunt. Nunc vero, cum magis magisque hæreses invalescant, & majus adsit perversionis periculum, necnon indies hæreticorum petulantia ac potentia augeatur, vix capi potest, qua ratione nonnulli tam acri calamo summorum Pontificum leges, ac Principum

Sæcul. XV.  
A C 1485.

singulis ferme diebus morte multari, sola privatæ inimicorum suorum vindictæ libidine in crimen vocatos. Non defuerunt viri nobilitate generis primarii, qui sese hisce factiosis adjunxerant, contententes, Arragoniæ libertatem labefactari, cum non modo hæreseos rei exuerentur bonis, sed ipsemet delator simul testis vices ageret, & nequidem eorum, qui contra reos testabantur, nomina manifestarentur, aut in accusatorum præsentia testes audirentur. Exinde primo secretæ multorum querelæ percipiuntur, dein ad criminationem & seditionem publicam res excessit. Arragonici Regni Ordines Ferdinandum adeunt, supplices, ut malo occurreret, proscriptiones bonorum, inflictamque hæreticis poenam abrogaret, & sacrum Inquisitionis tribunal ad normam aliorum tribunalium tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium reduceret. Ast neglecta harum precum æquitate, Inquisitores id peccatis graviter obluçtati sunt, adeo, ut ex illis Petrus Arbuesius hæreticæ pra-

pum statuta infectentur, quibus in hæreticos, ac Christianæ Religionis perturbatores animadverti præcipiunt, ac fidei puritatem poenarum severitate a Sectariorum contagione vindicare nituntur. *Vide tit. de Hæreticis Cod. præcipue l. Manichæis. & l. quicumque.*

pravitatis Inquisitor crudelem in modum Sæcul. XV.  
 occisus fuerit: hic enim cum quondam A C. 1485.  
 ad nocturnas preces de more suo in Ec-  
 clesiam Cathedralem Cæsar-augustanam  
 progressus, ante aram flexis genibus  
 oraret, in eum die decima quarta Se-  
 ptembris, quæ erat feria quarta, scele-  
 rati quidam ad quævis audenda proclives  
 turmatim irruebant, & nec sacri loci re-  
 verentia deterriti Petrum multis vulneri-  
 bus confodiebant, atque inter lethales  
 ictus in sua volutatum curore vix non  
 exanimem reliquerunt. Supervixit ta-  
 men Arbuesius integro adhuc biduo, eo  
 autem emenso Cæsaraugustani corpus  
 illius eodem loco, quo interfectus erat,  
 ingenti pompa terræ mandarunt. Ejus-  
 dem cruor solo sparsus adhucdum ferve-  
 re atque ebullire dicitur. Quidquid de-  
 mum de hoc miraculo sit, (\*) Paulus  
 III. Pontifex attenta hujus Inquisitoris  
 sanctitate ad preces Caroli V. eundem  
 sanctorum Martyrum catalogo solemni  
 ritu inscripsit.

§. XVII.

(\*) De veritate tamen hujus miraculi eo  
 ipso tempore publicas tabulas fuisse confectas te-  
 statur Surita tom. 4. annal. lib. 20. c. 65.